Werk

Titel: Sententiarum. Liber quartus

Autor: Kaibel, G.

Ort: Berlin

Jahr: 1887

PURL: https://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?509862098_0022|log64

Kontakt/Contact

Digizeitschriften e.V.
SUB Göttingen
Platz der Göttinger Sieben 1
37073 Göttingen

info@digizeitschriften.de

SENTENTIARUM
LIBER QUARTUS
(v. Hermae vol. XIX 246).

I. ARISTOPHANIS Thesmophoriazusarum versum 162 obsidet vitium tertio a. Chr. n. saeculo antiquius, quod qui curare studuit Aristophanes Byzantius recentiorum interpretum plausum non tulit. Exposuit Agatho ut muliebrem suum habitum vitamque delicatam excusaret necessarium esse ut qualis poetae vita habitusque esset, talia etiam carmina evaderent. Quibus haec addit:

ἄλλως τ' ἄμουσόν ἐστι ποιητὴν ἰδεῖν
ἀγρεῖον ὄντα καὶ δασύν· σκέψαι δ' ὅτι
Ἴβυκος ἐκεῖνος κἀνακρέων ὁ Τήιος
κἀχαιός, οἵπερ ἁρμονίαν ἐχύμισαν,
ἐμιτροφόρουν τε κἀχλίδων Ἰωνικῶς.

Sic enim scriptum tradiderunt τὰ παλαιότερα ἀντίγραφα, ubi cum Achaei aequalis poetae nomen ineptum esse intellexisset Aristophanes, ipse correxit κἀλκαῖος, quae coniectura mox recepta etiam in Ravennati libro, unico huius fabulae codice, legitur. Aristophani oblocutus est Didymus, cuius argumenta sane quam futtilia missa facimus, sed Alcaeum Lesbium poetam minime mollem non magis apte memorari post Hermannum omnes fere concesserunt. Quorum quidem coniecturas ἀρχαῖος vel χὠ Κεῖος vel καὶ Λᾶσος[1]) non sufficere recte iudicavit Velsenus, qui tamen suo commento καὶ πάντες parcere debuit. Quid sit χυμίζειν si quaeris, respondent lexicographi ἀρτύειν vel ἔγχυμον ποιεῖν; ut concedam verbum χυμίζειν ceteroquin ignotum idem significare quod χυμοῦν (cf. Suid. s. v. ἄγευστος) i. e. *condire* (ἀρτύειν), quamquam compositam potius formam expectarem διαχυμίζειν vel καταχυμίζειν, hoc igitur ut concedam, tamen non recte dicuntur Ibycus et Anacreo eo quod ἐμιτροφόρουν τε κἀχλίδων Ἰωνικῶς[2]) carminum indolem condiisse et tamquam sucum eis addidisse: immo vitam

1) Temeraria sunt quae Bergkius nova protulit hist. litt. graec. II 336 adn.

2) Nam recte duce Fritzschio Meinekium κἀχλίδων rescripsisse (διεκίνων R) vix potest dubitari.

agebant mollem ac delicatam, ergo carmina fecerunt mollia atque delicata. Necessarium plane est ut hoc ipsum Aristophanes dixerit, quem ad modum deinceps singula vitae artisque exempla accurate inter se exaequavit:

καὶ Φρύνιχος (τοῦτον γὰρ οὖν ἀκήκοας)
αὐτός τε καλὸς ἦν καὶ καλῶς ἠμπίσχετο·
διὰ τοῦτ᾽ ἄρ᾽ αὐτοῦ καὶ κάλ᾽ ἦν τὰ δράματα.

et rursus:

ταῦτ᾽ ἄρ᾽ ὁ Φιλοκλέης αἰσχρὸς ὢν αἰσχρῶς ποιεῖ,
ὁ δὲ Ξενοκλέης ὢν κακὸς κακῶς ποιεῖ,
ὁ δ᾽ αὖ Θέογνις ψυχρὸς ὢν ψυχρῶς ποιεῖ.

Itaque non tertio poeta nominato opus est sed mollitatis vocabulo, quo comparatio concinnior fiat verbique *χυμίζειν* vis accuratius definiatur. Scribendum puto *χλιδαῖς θ᾽ ὅσοιπερ ἁρμονίαν ἐχύμισαν*, quod quam prope ad traditae lectionis similitudinem accedat — KAIXAIOC enim scriptum erat, ut solent etiam tituli — neminem fugiet.

Parum dextrum causae Euripideae defensorem finxit poeta Mnesilochum (licebit enim hoc nomine appellare eum qui apud Aristophanem nomen non habet), sed egregie eum *ὑπὲρ τὰς ἄλλας γυναῖκας γυναικιζόμενον* fecit. Res narrat inauditas et incredibiles, ut Euripidis crimina inferiora esse demonstret eis quae revera mulieres committere soleant:

εἰ δὲ Φαῖδραν λοιδορεῖ,
ἡμῖν τί τοῦτ᾽ ἐστ᾽; οὐδ᾽ ἐκεῖν᾽ εἴρηκέ πω,
ὡς ἡ γυνὴ δεικνῦσα τἀνδρὶ τοὔγκυκλον
500 *οἷόν γ᾽ ὑπ᾽ αὐγάς ἐστιν, ἐγκεκαλυμμένον*
τὸν μοιχὸν ἐξέπεμψεν, οὐκ εἴρηκέ πω.

Non tangam versum 500 explicatu difficillimum nec certa coniectura Bachmanni ita correctum ut scripsi (*ὑπ᾽ αὐγὰς οἷόν ἐστιν* R), sed fatendum est verba v. 498 *οὐδ᾽ ἐκεῖν᾽ εἴρηκέ πω* et v. 501 *οὐκ εἴρηκέ πω* iuxta posita ferri non posse: anaphoram si poeta facere voluisset, scribere debuit iterato pronomine demonstrativo *ἐκεῖνο οὐκ εἴρηκέ πω*. Vide modo quae antecedunt:

ταῦτ᾽ οὐδεπώποτ᾽ εἶφ᾽, ὁρᾶτ᾽, Εὐριπίδης.
οὐδ᾽ ὡς ὑπὸ τῶν δούλων τε κωρεωκόμων
σποδούμεθ᾽, ἢν μὴ ἔχωμεν ἕτερον, οὐ λέγει,
οὐδ᾽ ὡς — — — — — — — ταῦθ᾽, ὁρᾷς,
οὐπώποτ᾽ εἶπεν.

Accedit quod non sine causa Brunckium et Meinekium male habuit articulus substantivo *γυνή* additus v. 499: recte quidem eodem versu *τἀνδρί* dicitur, nam maritus est eius mulieris qua de agitur; non recte *ἡ γυνὴ* dicitur quae qualis fuerit ignoramus. Vide quam recte articulo usus sit v. 561 sq. *οὐδ' ὡς ὑπὸ τῇ πυέλῳ κατώρυξέν ποτε . . ἀχαρνικὴ τὸν πατέρα* (nam tamquam nota omnibus mulier fingitur) et quam recte omiserit articulum v. 560 *οὐδ' ὡς τὸν ἄνδρα τῷ πελέκει γυνὴ κατεσπόδησεν*. Itaque v. 499 interpolatoris est articulus, non poetae, cuius verba certo quodam consilio ille mutaverat. Cur mutaverit intelleges, ubi quid Aristophanes mihi scripsisse videatur significavero:

εἰ δὲ Φαῖδραν λοιδορεῖ,
ἀλλ' ὡς γυνὴ δεικνῦσα κτλ.

Notum hoc genus dicendi *εἰ σῶμα δοῦλον, ἀλλ' ὁ νοῦς ἐλεύθερος*, quod cum *οἱ γραμματικῶν παῖδες* non satis caperent, futtilem versum ut hiantem scilicet orationem explerent de suo addiderunt; *ἀλλά* particula iam delenda erat numerique manci aliquo modo reparandi.

Consimilem interpolatorem v. 32 deprehendisse mihi videor. Ad Agathonis domum perventum esse ait Euripides, quo audito *ποῖος Ἀγάθων* quaerit Mnesilochus. Tum:

ΕΥΡ. *ἔστιν τις Ἀγάθων* — ΚΗΔ. *μῶν ὁ μέλας, ὁ καρτερός;*
ΕΥΡ. *οὔκ, ἀλλ' ἕτερός τις· οὐχ ἑόρακας πώποτε;*
ΚΗΔ. *μῶν ὁ δασυπώγων;* ΕΥΡ. *οὐχ ἑόρακας πώποτε;*
ΚΗΔ. *μὰ τὸν Δί' οὗτοι γ', ὥστε κἀμέ γ' εἰδέναι.*

Maligne Agathonem poetam se non nosse simulat Mnesilochus maligniusque etiam alium quendam Agathonem, barbatum hominem et robustum, se nosse fingit. Cum hunc esse illum coniecisset, reprobat hoc Euripides; igitur alteram periclitatur coniecturam: *μῶν ὁ δασυπώγων;* at si non est *ὁ μέλας, ὁ καρτερός*, non magis potest esse *ὁ δασυπώγων*, ergo altera coniectura inepta est, quam sic demum ferremus, si acuminis leporisve vel malignitatis aliquid haberet. Sed *ὁ δασυπώγων* nihil aliud est quam *ὁ μέλας*, si quidem *λευκός* is est qui barbam non habet (v. 191). Sin autem neges idem esse, tamen inter hominem barbatum (*δασυπώγων*) et hominem nigrum robustumque parum interesse concedes quam ut Mnesilochus, cum Euripides dixisset qui Agathonem hominem nigrum robustumque putaret, eum nunquam hercle illum vidisse, denuo coniceret num forte barbatus ille esset Agatho. Itaque du-

bium mihi non est alterumutrum versum interpolatum esse, neque utrum deleam dubius haereo: non credo enim Euripidem tamquam novam coniecturam exigeret apte dicere potuisse *οὔκ, ἀλλ' ἕτερός τις*. Scripsisse puto poetam:

ΕΥΡ. *ἔστιν τις Ἀγάθων* — ΚΗΔ. *μῶν ὁ μέλας, ὁ καρτερός; μῶν ὁ δασυπώγων;* ΕΥΡ. *οὐχ ἑόρακας πώποτε;*

Consimilis autem hic interpolator illi est eo, quod etiam huius versus plane ut v. 498 altera pars ex poetae verbis male iteratis (*οὐχ ἑόρακας πώποτε*) concinnata est, alteram satis insipidam grammaticus de suo addidit.

II. Thucydidis unum locum certa ut mihi videtur ratione emendabo, quem si hoc solum interesset sententiam scriptoris perspicere ne tangerem quidem, quoniam acute dudum Wilamowitzius quid res postularet assecutus est; ipsa tamen Thucydidis verba ille non restituit. Agitur autem 8, 67 de contione in Colono habita: *καὶ ἐσήνεγκαν οἱ ξυγγραφῆς ἄλλο μὲν οὐδέν, αὐτὸ δὲ τοῦτο, ἐξεῖναι μὲν Ἀθηναίων ἀνατρέπειν γνώμην ἣν ἄν τις βούληται· ἢν δέ τις τὸν εἰπόντα ἢ γράψηται παρανόμων ἢ ἄλλῳ τῳ τρόπῳ βλάψῃ, μεγάλας ζημίας ἐπέθεσαν.* Vitiosum est *ἀνατρέπειν* neque minus vitiosum quod in Vaticano libro correctum est *ἀνειπεῖν*, sed quoniam nullo pacto credi potest librariis stulta et inutili interpolatione *ἀνατρέπειν* pro *ἀνειπεῖν* substituisse, apparet ab ipsa illa lectione *ἀνατρέπειν* proficiscendum esse. Vidit Wilamowitzius impunitatis notionem requiri et ut simul *Ἀθηναίων* genetivum nullis artificiis defendendum tolleret scripsit *ἐξεῖναι μὲν ἀζήμιον εἰπεῖν γνώμην*. Quod quamvis sit speciosum (recepit etiam Classenius), tamen scriptorem ipsum paullo aliter scripsisse existimo: *ἐξεῖναι μὲν [Ἀθηναίων] ἀνατὶ εἰπεῖν γνώμην*. Eodem adverbio Aristophanes cum mulierum decretum in Ecclesiazusis (v. 1020) lepide fingeret usus est: *ταῖς πρεσβυτέραις γυναιξὶν ἔστω τὸν νέον ἕλκειν ἀνατὶ λαβομένας τοῦ παττάλου.*

III. Eratosthenis ex epistulis praeter alia perpauca Pempeli alicuius, si dis placet, acute illud de Boeotis dictum servatum est. Edebantur enim Athenaei verba (10 p. 418a) hunc in modum: *ἐκ τούτων εἰκός ἐστι καὶ Ἐρατοσθένη ἐν ταῖς ἐπιστολαῖς Πέμπελον φῆσαι ἐρωτηθέντα τί αὐτῷ δοκοῦσιν εἶναι Βοιωτοὶ εἰπεῖν· 'τί γὰρ ἄλλο ἢ τοιαῦτα ἐλάλουν οἷα ἂν καὶ τὰ ἀγγεῖα*

φωνὴν λαβόντα, πόσον (leg. ὁπόσον) ἕκαστος χωρεῖ.' Non curo inconcinnam orationis formam, sententia enim perspicua; sed parum credibile est Eratosthenem plane ignoti hominis dictum in epistulis rettulisse. Sustuli epitomatoris interpolationem restituique ex codice Marciano nobilissimum nomen *Πρεπέλαον* (*πρέπελλον* codex, *προπέλλου ἀπόφθεγμα* lemma cod.), nec potest dubitari, quin Cassandrei exercitus dux intellegendus sit, qui anno 304 Boeotorum defectionem expertus (Diod. 20, 100) de inconstanti et verborum magis quam factorum prodigo animo illorum apte queri poterat.

Nomina propria innumeris locis falso tradita facilius emendari poterunt, si quis Caroli Keilii studiis repetitis ex titulorum copia onomatologum retexendum susceperit. Velut ridiculum paene est Boeotorum praetorem apud Polybium (20, 4, 2) *Ἀμαιόκριτον* nominari: nomen fuit *Ἀβαιόκριτος* eodem modo formatum quo *Ἀβαιόδωρος*, ab Apolline Abaeo ductum utrumque.

Callimachus poeta uxorem duxisse perhibetur filiam *Εὐφράτου τοῦ Συρακοσίου* (Suid.): sed nisi socerum barbarum servumque fuisse credas, qui quidem Syracusanus esse non possit, emendabis *Εὐφραίου τοῦ Συρακοσίου*, quod nomen etsi in aliis quoque regionibus reperiatur tamen nusquam crebrius est quam in titulis Siculis.

Apud Rhodios, ut narrat Hegesander Delphus apud Athenaeum (10, 444 e), homo fuit luxuriosus, *Κομηών* nomine. Corruptam codicis Marciani lectionem integram reliqueram certae medelae nescius, nunc quid fuerit scire mihi videor; *Κόμων* Rhodii pueri nomen est in titulo accurate a Loewio edito *Inschr. gr. Bildh.* 184.

Lagiscam meretricem, Isocratis ut ferunt amicam, Lysias (apud Athen. 13 p. 592 e) non *Λαγίσκην*, sed *Λαγίσκαν* nominavit itemque Strattis in Atalanta fabula (1, 712 Kock) scripsit *καὶ τὴν Λαγίσκαν τὴν Ἰσοκράτους παλλακήν*. Nec Lysiam nec Strattidem credemus atticae formae doricam praetulisse, sed certum est ultimam syllabam brevem fuisse. Hinc facile apparebit quomodo emendanda sint Anaxandridae verba ex Gerontomania fabula apud Athenaeum servata (= 2, 138 Kock):

τὴν ἐκ Κορίνθου Λαίδ' οἶσθα; **B.** *πῶς γὰρ οὔ;*
τὴν ἡμετέρειον. **A.** *ἦν ἐκείνη τις φίλη*
Ἄντεια. **B.** *καὶ τοῦθ' ἡμέτερον ἦν παίγνιον.*
A. *νὴ τὸν Δί', ἤνθει τότε Λαγίσκη, ἦν δὲ τότε*
καὶ Θεολύτη κτλ.

Scribendum *ἤνθει τότε Λαγίσκ', ἤνθει τότε καὶ Θεολύτη.*

IV. Archestratus apud Athenaeum (7, 101 f. = fr. 21 ed. Ribbeckianae) thynnos dicit probos reperiri Byzantii et Carysti, Sicilia autem in insula meliores esse Cephaloeditanos et Tyndaritanos:

ἂν δέ ποτ' Ἰταλίας ἱερᾶς Ἱππώνιον ἔλθῃς
ἑρπετὸν εἰς ὕδατος στεφάνους, πολὺ δὴ πολὺ πάντων
ἐνταῦθ' εἰσὶν ἄριστοι ἔχουσί τε τέρματα νίκης.

Sic haec in codice scripta sunt, nisi quod certa emendatione pro *εἰπώνιον* Musurus restituit *Ἱππώνιον*. Reliqua ingenti coniecturarum multitudine tamquam obruerunt interpretes, e quibus longe optimum, ni fallor, illud est quod Hermannus excogitavit *Ἱππωνίου ἔλθῃς ἑρκίον εἰς ὑδατοστεφάνου*, sed adiectivum *ὑδατοστέφανος*, quod primus Iacobsius deprehendisse sibi visus est, ipsa loci natura refellitur. Quod Woldemarus Ribbeck, vir egregius et de Archestrati reliquiis eximie meritus, proposuit *ἕρπε τότ' εἰς ὕδατος τέναγος* (alterum confidenter, dubitanter alterum), id valde mihi displicere non diffiteor; nam si quis Hipponium profectus (ἂν — ἔλθῃς) eum locum adire iubeatur ubi optimi thynni praesto sint, hic locus non alius esse potest nisi forum piscarium. Quo bene perspecto hunc ipsum locum significari verbis traditis *εἰς ὕδατος στεφάνους* nuper pronuntiavit Hermannus Roehl: maris enim decora (*στεφάνους*) esse pisces et cum recte dici posset *ἐν τοῖς ἰχθύσιν* i. e. *in foro piscario*, dici posse etiam *εἰς ὕδατος στεφάνους ἕρπειν* i. e. *in forum piscarium*. Nisi quis verborum ventilatorem fuisse Archestratum existimet, praeter illum qui in Bursiani annalibus Roehlii acumen laudavit nemo opinor talia probabit. Omnino autem ab Archestrato procul habenda tam putida describendi diligentia, tamquam veritus ille sit ne sodalis quem adloquitur piscium cupidus non piscarium sed boarium forum peteret. Certum mihi est cum ad sententiam nihil omnino desit in verbis corruptis laudem Hipponii urbis latere. Legimus autem apud Strabonem p. 256 haece: *διὰ δὲ τὸ εὐλείμωνα εἶναι τὰ περικείμενα χωρία καὶ ἀνθηρὰ τὴν Κόρην ἐκ Σικελίας πεπιστεύκασιν ἀφικνεῖσθαι δεῦρο ἀνθολογήσουσαν· ἐκ δὲ τούτου ταῖς γυναιξὶν ἐν ἔθει γέγονεν ἀνθολογεῖν τε καὶ στεφανηπλοκεῖν, ὥστε ταῖς ἑορταῖς αἰσχρὸν εἶναι στεφάνους ὠνητοὺς φορεῖν*. Certo mihi videor in Athenaei editione *Περσεφόνης* nomen (pro *ἑρπετὸν εἰς*) restituisse, reliqua quae proposui paulo incertiora esse sentio. Proserpina apud Hipponienses est Florilega,

itaque corollis redimitam caput facile fingemus; quaerebam adiectivum ab *στέφανος* derivatum ad deam referendum, quaerebam etiam substantivum a quo pendeat *Περσεφόνης* genetivus: conieci *Περσεφόνης ἕδος εὐστεφάνου.*

V. Simonidei fragmenti xlvii verba quaedam Bergkius improbabili modo recomposuit, sententia quae fuerit ne quaesivit quidem. Atqui satis multa satisque certa sciri possunt comparatis eis quae duobus locis Plutarchus eisdem poetae verbis usus exposuit. Ille enim in libello *de prof. in virt.* c. 8 monet ne quis philosophorum vel poetarum vel historicorum libros legens verborum magis lenociniis quam sententiarum gravitate vel utilitate captetur: *ὥσπερ γὰρ ἄνθεσιν ὁμιλεῖν ὁ Σιμωνίδης φησὶ τὴν μέλισσαν ξανθὸν μέλι μηδομέναν, οἱ δ' ἄλλοι χρόαν αὐτῶν καὶ ὀσμήν, ἕτερον δ' οὐδὲν ἀγαπῶσιν οὐδὲ λαμβάνουσιν, οὕτως κτλ.* Et planius idem in eximia de recta ratione audiendi schola c. 8: *διὸ δεῖ τὸ πολὺ καὶ κενὸν ἀφαιροῦντα τῆς λέξεως αὐτὸν διώκειν τὸν καρπὸν καὶ μιμεῖσθαι μὴ τὰς στεφηπλόκους ἀλλὰ τὰς μελίσσας· αἱ μὲν γὰρ ἐπιοῦσαι τὰ ἀνθηρὰ καὶ εὐώδη τῶν φύλλων συνείρουσι καὶ διαπλέκουσιν ἡδὺ μέν, ἐφήμερον δὲ καὶ ἀκαρπον ἔργον· αἱ δὲ πολλάκις ἴων καὶ ῥόδων καὶ ὑακίνθων διαπετόμεναι λειμῶνας ἐπὶ τὸν τραχύτατον καὶ δριμύτατον θύμον καταίρουσι καὶ τούτῳ προσκάθηνται ξανθὸν μέλι μηδόμεναι, καὶ λαβοῦσαί τι τῶν χρησίμων ἀποπέτονται πρὸς τὸ οἰκεῖον ἔργον.* Itaque quae hic dicuntur mulierculae coronariae *τὰ ἀνθηρὰ καὶ εὐώδη τῶν φύλλων* legere et nectere, eidem sunt priore loco *οἱ ἄλλοι* colorem odoremque tantum quaerentes: opponuntur autem his apes, quae nec speciem formosam nec suavem odorem curant, sed violis rosis hyacinthis praetermissis ne thymi quidem amaritudinem defugiunt ex quo praecipui saporis mella petant (Colum. 9, 4). Thymum amarum quin ipse poeta memoraverit nemo facile poterit dubitare; si tamen quis dubitaverit, eximet ei scrupulos epistolographus ille Byzantinus (fortasse Theodorus Ptochoprodromus) in Crameri anecdotis Oxon. 3, 173, qui haec scribit: *καλῶ δὲ σὲ καὶ θέλγητρον ἀκοῆς καὶ Σειρῆνος ᾠδὴν καὶ Ὀρφικὴν λύραν καὶ κέντρον Πειθοῦς* (*πιθοῦς* cod.) *καὶ μέλιτταν Μούσης, οὐκ ἀπό τινων θύμων καὶ δριμυτάτων ἀνθέων ξανθὸν μέλι μηδομένην, ὥς φησιν* (*φασιν* cod.) *ὁ Σιμωνίδης, ἀλλ' ἀπὸ τῶν ἄνω* (corrigendum velut *ἀνθωδῶν*) *λειμώνων*

ἐργαζομένην τὸ μέλι τὸ σὸν ἢ καὶ αὐτῶν τῶν παρὰ ποιηταῖς Διὸς κήπων, οὓς φησιν φοινικορόδους ὁ Πίνδαρος (fr. 130 B[4]). Insulsum hominem non ex ipsis Simonidis carminibus haec hausisse facile concedo, sed ne ex Plutarcho quidem petiisse apparet, si quidem Plutarchus eo loco ubi τὸν τραχύτατον καὶ δριμύτατον θύμον memorat poetae nomen non adiecit. Itaque certum est Simonidem apem dixisse ὁμιλεῖν θύμου ἄνθεσι δριμυτάτου vel similiter. Sed longius procedendum est: quaeritur utrum ipse poeta gravem apium industriam cum vana coronariarum opera comparaverit an Plutarchus poetae sententiam hoc modo adauxerit. Hoc alterum quamquam per se minime incredibile est, tamen illud certum videbitur, si quis accuratius Plutarchi verba perpenderit (*de recta rat. aud.* l. s.): δεῖ μιμεῖσθαι μὴ τὰς στεφηπλόκους ἀλλὰ τὰς μελίσσας. Non multum tribuo formae μέλισσα — talia enim facile condonanda Plutarcho qui saepius Atticistarum ridet severitatem —, sed nemo unquam nisi poeta vocabulo στεφηπλόκος uti potuit: emendavit quidem Hercherus στεφανηπλόκος, sed quis librarium putabit rarissimum vocabulum de suo intulisse. Itaque Simonidis ipsius esse τὰς στεφηπλόκους censemus videturque poeta severam suam artem cum blandis aequalis alicuius poetae artificiis comparasse, fortasse etiam ab criminibus aliorum se defendisse.

Sed quoniam ad Plutarchum delatus sum paucula quaedam Hercheriano volumine usus emendare conabor. *De recta rat. aud.* c. 13 (p. 44 c) exponit scriptor eos qui vere boni sint necesse esse aliena bona laudare; qui aliis laudem denegent invidos esse suaeque ipsorum laudis cupidos: οἱ δὲ γλίσχροι περὶ τοὺς ἑτέρων ἐπαίνους ἔτι πένεσθαι καὶ πεινῆν ἐοίκασι τῶν ἰδίων. In his neque πένεσθαι neque ἔτι recte habet: videtur restituendum verbum tam Plutarcho quam aliis illius aetatis scriptoribus dilectissimum ἐπτοῆσθαι.

Consol. ad Apoll. c. 22 (p. 113 b): τούτων (i. e. Aegyptiorum, Syrorum, Lydorum) γὰρ τοὺς μὲν εἰς βόθρους τινὰς καταδύντας ἱστοροῦσιν ἐπὶ πλείους ἡμέρας μένειν, ubi corrigendum est πενθεῖν: hinc Io poeta βόθρους πενθητηρίους dixit (fr. 54 N).

Conviv. septem sap. c. 4 (p. 150 b): ὁ δὲ Χίλων λακωνίσας τῇ φωνῇ 'καὶ τύνη, ἔφη, βραδὺς καὶ τὸν ἡμίονον τρέχεις'. Non recte videtur Wyttenbachius traditam lectionem defendere, nam diversa sunt illa *Cyclopa saltare* vel *totum Nestora vivere* ab

hoc quod Plutarchus scripsisse creditur *mulum currere.* Scribendum *τὸν ἡμιόνου τρέχεις.* Eiusdem libelli c. 13 (p. 156e) corrupta verba intacta reliquit Hercherus: *ἐπεὶ τάς γε προπόσεις, ἔφη, λιτὰς* (*αὐτὰς* codd.: corr. Herch.) *πυνθάνομαι πίνειν τοὺς παλαιούς, 'δαιτρόν', ὡς Ὅμηρος ἔφη, καὶ μετρητὸν ἑκάστου πίνοντος, εἶτα ὥσπερ αἴας μερίδας μεταδιδόντος τῷ πλησίον.* Hauptii coniecturam *ὥσπερ λείας μερίδας* recte sprevit editor, in qua nec plurale *μερίδας* ferri potest nec intellegitur quo pacto propinatio cum praedae portione comparari possit. Plutarchi sensum recte assecutus mihi videor esse recteque coniecisse *ὥσπερ ἰδίας μερίδος μεταδιδόντος τῷ πλησίον.*

VI. Obscuras Alexandrae ambages qui Lycophronis Chalcidensis proprias esse putant, nimis honorifice dicam an inique de illo videntur iudicare: ut mittam dithyrambographorum exempla, tragici quarti saeculi poetae quid ausi sint docet comoedia, et antiquiores etiam poetae quantum ipsi sibi in ambiguis verborum ludicris sectandis placuerint, facilius intellegeremus si Sophoclis fabulae plures, Ionis vel una superesset, quorum alter in Satyris surdis (fr. 335) dixit *κυλισθεὶς ὥς τις ὄνος ἰσόσπριος,* quod recte sine dubio expedivit Didymus schol. Apoll. Rhod. α 972, Io autem cum fistulam vocavit *Ἰδαῖον ἀλέκτορα* (nam erravit Athenaeus 4, p. 185a) non minus sive audacter seu festive fecit quam Lycophro, qui salem (v. 135) *σύνδορπον Αἰγαίωνος ἀγνίτην πάγον* dixit: nisi forte hoc interesse credas quod Lycophro, cum *λοξὸν μῦθον παρθένου φοιβαστρίας* repraesentaret, suo iure perplexa vatum carmina imitatus sit, illi vero nulla fortasse necessitate coacti ornate quam simpliciter loqui maluerint. Non laudo Lycophronis ingenium, sed molestum eius genus dicendi explicare studeo, quod quanto opere tragicorum poetarum imitationi obnoxium sit, docet numerorum ars, docet particularum usus parcissimus, docet denique summa formarum severitas: nam qui tot vocabula nova ex reconditis linguae latebris conquisivit, qui ne humiliora quidem evitavit, idem ille diligentissime omnibus vocabulorum formis abstinuit quae a tragicorum diverbiorum usu alienae essent. Quapropter ferri nequit quod ex Aldina editione etiam Scheerius propagavit v. 598:

ῥάμφεσσι δ' ἀγρώσσοντες ἑλλόπων θορούς,

ubi optimi codices *ῥάμφεσι* habent. Huc si addideris *ῥάμφος* satis vulgare rostri vocabulum non reperiri apud Lycophronem,

non dubitabis corrigendum esse *γαμφαῖσι*, qua eadem forma usus est v. 152. Testatur Hesychius *γαμφαὶ ἢ* (*γαμφαίη* cod.) *γναμφαί· γνάθοι*, sed Lycophronem *γαμφὰς* dicere potuisse pro eo quod est *γαμφηλαί*, hoc nemo negabit.

Addo alteram Lycophronis emendationem, quae mihi quidem non minus certa videtur. Vaticinatur Alexandra v. 216 de Graecorum expeditione Troiana:

λεύσσω πάλαι δὴ σπεῖραν ὁλκαίων κακῶν,
σύρουσαν ἅλμῃ κἀπιροιζοῦσαν πάτρᾳ
δεινὰς ἀπειλὰς καὶ πυριφλέκτους βλαβάς.

Certum est Graecos navibus advectos dici posse *ὁλκαῖον κακόν*, sed minus aptum existimo eas quas illi adlaturi sint clades appellare navigeras, ineptum vero Graecos dicere mari trahere minas et ruinas. Facile has difficultates poteris tollere, modo scribas

λεύσσω πάλαι δὴ σπεῖραν ὁλκαῖον κακὸν
σύρουσαν ἅλμῃ κτλ.

i. e. *video hominum multitudinem funestas naves per mare trahentem.*

VII. Lycophronis cum *'historiae caecae'* tum vocabulorum abstrusorum copiae nescio an nulli magis profuerint quam Euphorioni et civi et aetate suppari.[1]) Nolo nunc omnia quae Euphorio ab Lycophrone mutuatus sit enumerare, quamquam graviora quaedam in indice Scheeriano aegre desidero: hoc ei curae erit qui Euphorionis carmina et fabulas redintegrandas susceperit, rem non hercle infructuosam; mihi pauca nunc sufficient. Lycophro v. 494 sqq. de Acamante narrat:

τῷ ποτ' εἰς λέχος
λαθραῖον αὐτόκλητος Ἰδαία πόρις
ἣ ζῶσ' ἐς Ἅιδην ἵξεται καταιβάτις
θρήνοισιν ἐκτακεῖσα, Μουνίτου τοκάς·
ὃν δή ποτ' ἀγρώσσοντα Κρηστώνης ἔχις
κτενεῖ πατάξας πτέρναν ἀγρίῳ βέλει.

Speciosa coniectura Wilamowitzius (*philol. Unters.* 1 138) *Μουνίχου τοκάς* scribendum proposuit, quamvis et Theonem concederet et

1) Parthenium fr. 7 M *ὠγενίης Στυγὸς ὕδωρ* non credo ad Lycophronis exemplum dixisse, qui *Ὠγένην* primus vocavit Oceanum, magis probabile est ab Lycophrone Euphorionem, Parthenium ab Euphorione illud accepisse. Nam Euphorionem Parthenio Cornelii Galli amico studiorumque auctori in deliciis fuisse potest demonstrari.

Parthenium Hegesippi Milesiacis usum (*narr. amat.* 16) corruptum iam *Μούνιτον* nomen legisse. Perquam improbabile est pari corruptela Hegesippi et Lycophronis libros casu infectos fuisse, cum praesertim notum et nobile nomen fuerit Munichus, ignotum Munitus. Sed cavisset vir amicissimus ab correctione, si Euphorionis imitationem adhibuisset (fr. 55 M):

ἢ οἱ Μούνιτον υἷα τέκε πλομένῳ ἐνὶ ὤρῳ·
ἀλλά ἑ Σιθονίῃ (l. *Σιθονίης*) *τε καὶ ἐν κνημοῖσιν Ὀλύνθου*
ἀγρώσσονθ' ἅμα πατρὶ πελώριος ἔκτανεν ὕδρος.

Certum igitur est Lycophronem, Euphorionem, Hegesippum pariter omnes *Μούνιτον* illum appellasse, non Solivagum, sed Soligradum. Nominis mutati causa sine dubio ex fabulae mutatione repetenda est, quae qualis fuerit nescio; sed puerum clandestino coniugio progenitum facile fingas primos vitae annos solum sine patre degisse (cf. Lycophr. 501).

Euphorionis verba in scholiis Odyss. δ 228 haec sunt:

βλαψίφρονα φάρμακα χεῦεν
ὅσσ' ἐδάη Πολύδαμνα τε Κυταὶς ἢ ὅσα Μήδεια,

a Meinekio emendata hunc in modum *Πολύδαμνα Κυτηιὰς ἢ ὅσα Μήδη*, recte opinor, nisi quod *Κυταικὴ ἢ ὅσα Μήδη* praeferendum videtur: *Κυταικὴν* Medeam nominavit Lycophro v. 174.

Homerus uti dixit *τραφερήν* omisso terrae vocabulo, ita quamvis audacius Lycophro (ante eum quis fecerit equidem nescio) v. 408:

ἅπασα δ' ἅλγη δέξεται κωκυμάτων

i. e. *ἅπασα ἡ γῆ*, nec potest aliter intellegi, si quidem addit ipse poeta

ὅσην Ἄραιθος ἐντὸς ἠδὲ δύσβατοι
Λειβήθριαι σφίγγουσι Λωτίου πύλαι.

Imitatus hoc est Euphorio fr. 78:

φοιταλέος δ' ἀνὰ πᾶσαν ἄδην ἐπάτησε κοθόρνῳ,

ubi proximis versibus addita fortasse fuerunt quae *πᾶσαν* (*γῆν*) accuratius definirent, non additum fuit ipsum *γῆ* vocabulum. Hinc fortasse efficitur etiam Callimachi versum h. Del. 266 recte traditum esse:

ὦ μεγάλη, πολύβωμε, πολύπτολι, πολλὰ φέρουσα.

Vocabulum *γῆ* ex adiectivo *πολύπτολις* facile subintellegitur.

Lycophro v. 1296 sqq. Cretenses narrat, ut Ionis raptum ulciscerentur, e Sidoniorum urbe Europam avexisse

ἐν ταυρομόρφῳ τράμπιδος τυπώματι,

nimirum ut Euhemeri aemulus Cretensium fabulam de Iove in taurum mutato explicaret. Consimili modo teste Nymphide Heracleota (schol. Apoll. Rh. β 168) Acario quidam Phrygas narravit fretum traiecisse navi quae *ἐγκεχαραγμένην* habebat *προτομὴν ταύρου*, indeque Bosporum nomen suum accepisse. Acarionem illum quin recte Reinesius Euphorionem esse coniecerit nullus ego dubito nec magis dubito quin Euphorio Lycophronem secutus tam inepta excogitaverit. Quam vero familiaris ut omnibus illius aetatis poetis ita Euphorioni quoque haec fabulas explicandi ratio fuerit, docet aliud eiusdem exemplum fr. 120, ubi equum Troianum navem fuisse affirmat Equi nomine insignitam.

Lycophroneum dicendi genus deprehendisse mihi videor etiam in alio Euphorionis versiculo fr. 86, qui sic traditur (Et. M. 388, 42):

ἥ οἱ Εὐάρχοιο φέρε κλέος ἀμφὶ ῥέεθρον.

Mitto primum vocabulum sine dubio mendosum (fort. *ἠοῖ δ'*), sed exputari omnino nequit quis cui laudem vel honorem paraverit ad Euarchum fluvium, quem Euphorio propter hoc memorarat ut nomen explicaret: ita enim Argonautas fluvium appellasse, quia Pontum Euxinum ingressi cum siti laborarent eius aquam primum bibissent. Itaque quod requiritur *φερώνυμον ἀμφὶ ῥέεθρον*, hoc quoniam scriptum non fuit, similiter poetam dixisse puto *φερεκλεὲς ἀμφὶ ῥέεθρον*: *κλέος* enim idem est quod *ὄνομα*. Non sane diversum est, ut unum exemplum de multis ponam, quod audenter dixit Lycophro v. 51 Herculem *τὸν Ἅιδην δεξιούμενον πάλαι* i. e. *χειρούμενον*, nam *δεξιά* idem est quod *χείρ*.

Leni medela indiget Euphorionis fragmentum 59 sic fere in scholiis Victorianis *K* 18 traditum:

πολλάκι οἱ κλισίῃσι Πυληγενέεσσί τε νηυσὶν
ἐννύχιοι πίλναντο, νόσῳ ἅπερ ἰητῆρος,

in quibus *πολλάκι* pro *πολλάκις* Meinekius, *πίλναντο* pro *πίτναντο* Heynius correxerat; superest ut *νόσῳ* dativum curemus. Quod Meinekius coniecit *νόσων*, id non sufficit: nam ut Homerus quidem dicere potuerit *ἰητῆρα κακῶν* vel *νούσων*, Alexandrinum poetam tam inutilem genetivum non credo adiecturum fuisse, sed quod gravius est, comparatio ipsa manca est: non hoc dicit poeta Graecos tam frequenter Nestorem adiisse quam medicum, sed hoc, saepe illos Nestorem adiisse tamquam aegrotantes medicum. Itaque scripsit poeta *νοσῶν ἅπερ ἰητῆρος* i. e. eius *ἰατρείῳ*, et hoc

ipsum legit scholiasta, qui notat *ὡς ἂν εἰς ἰατροῦ νοσῶν θέλει φοιτᾶν, ὡς καὶ Εὐφορίων φησίν.*

Euphorio fr. 24 Pythiae oraculum rettulit Carano urbem conditūro editum:

ἔνθα δ' ἂν αἶγας
βοσκομένας ἐσίδῃς, πρῶτον τόθι τοι χρεών ἐστιν
ζηλωτὸν ναίειν αὐτὸν γενεάν τε πρόπασαν.

Ineptum est *πριῶτον*, unice vero aptum *πρωτόν*.

VIII. Certa opinor coniectura Meinekius Musarum carmini tribuit egregios Alexandri Aetoli versus a Polemone servatos (Athen. 15, 699 c), quibus Boeoti Syracusani vitam ingenium artem breviter sed luculenter poeta descripsit. Enumeratur Boeotus una cum Euboeo Pario inter parodiarum scriptores, idque Alexander his verbis significat:

ἔγραφε δ' ὠνὴρ
εὖ παρ' Ὁμηρείην ἀγλαίην ἐπέων
πισύγγους ἢ φῶρας ἀναιδέας ἤ τινα χλούνην
φλύων ἀνθηρῇ σὺν κακοδαιμονίῃ.

Itaque idem Boeotus fecit quod Rintho Tarentinus, qui primus *ἑξαμέτροις*, ut ait Ioannes Lydus (*mag.* 1, 41), *ἔγραψε κωμῳδίαν*, eidemque poetarum generi adscribendus est atque Rintho; et satis aperte phlyacographum significavit Alexander uno verbo *φλύων*. Ceterum nihil iam video in his versibus quod corruptum sit, corrupta vero sunt quae de vita Boeoti poeta narrat:

ἀρχαίων ἦν ὅδ' ἀνὴρ προγόνων,
εἰδὼς ἐκ νεότητος ἀεὶ ξείνοισιν ὁμιλεῖν
ξεῖνος, Μιμνέρμου δ' εἰς ἔπος ἄκρον ἰὼν
παιδομανεῖ σὺν ἔρωτι πότην ἶσον.

Iuvenili igitur aetate iam patria relicta peregrinus apud peregrinos carmina sua recitabat omniumque sibi gratiam conciliavit; totam autem vitam Mimnermo obsecutus puerorum amori dicabat. Mimnermi nobile illud dictum significatur:

τίς δὲ βίος, τί δὲ τερπνὸν ἄτερ χρυσέης Ἀφροδίτης·
τεθναίην ὅτε μοι μηκέτι ταῦτα μέλοι,

nec magno opere interest quod Mimnermus non puerorum sed mulierum amorem praedicavit. Illud igitur quod posui necesse est ut ex corruptis verbis *πότην ἶσον* efficiamus: conieci *παιδομανεῖ σὺν ἔρῳ τρίβον ἤνυσεν*, ut non tam *βιότου τρίβον* (cf. poet.

Anacreont. 38, 2) intellegerem quam peregrinationem perpetuam eis quae antecedunt significatam.

Mimnermus autem acerrimus amoris antistes quanta fuerit apud poetas Alexandrinos auctoritate facile intelleges, si molle et dulce eius dicendi narrandique genus, si accuratam eius numerorum artem cum Hermesianactis Phanoclisque elegis comparaveris: apparet illius hos aemulos fuisse. Accedit quod Nannonis argumentum, nisi fallor, Leontio carmini simillimum fuit, ut non iniuria Mimnermi Nanno, Antimachi Lyde, Hermesianactis Leontium tamquam plura eiusdem generis exempla composita sint apud Athenaeum 13, 597 a. Mihi enim certum videtur Mimnermi versus a Strabone 1 p. 46 traditos (fr. 11 B[4]) e Nannone desumptos esse:

οὐδέ κοτ' ἂν μέγα κῶας ἀνήγαγεν αὐτὸς Ἰήσων
ἐξ Αἴης, τελέσας ἀλγινόεσσαν ὁδόν,
ὑβριστῇ Πελίῃ τελέων χαλεπῆρες ἄεθλον,
οὐδ' ἂν ἐπ' Ὠκεανοῦ καλὸν ἵκοντο ῥόον . . .

quae coepta sententia vix aliter poterit suppleri nisi hunc in modum *'nunquam ex itineris periculis et certaminibus salvus rediisset Iaso, nisi Medeae eum amor adiuvisset'*; quo de supplemento si quis dubitet, is legat velim Apollonii versus ex hoc Mimnermi loco expressos (γ 1):

εἰ δ' ἄγε νῦν, Ἐρατώ, παρά θ' ἵστασο καί μοι ἔνισπε
ἔνθεν ὅπως ἐς Ἰωλκὸν ἀνήγαγε κῶας Ἰήσων
Μηδείης ὑπ' ἔρωτι.

Accedit quod hac demum ratione primo versu recte traditum esse apparet *αὐτὸς Ἰήσων*, quod frustra temptaverunt interpretes. Itaque ut omnes amori obnoxios esse mortales Hermesianax, ita omnia amore vinci, nihil sine amore effici posse Mimnermus longa fortasse fabularum serie exposuit.

IX. Asclepiadis pulcrum epigramma (A. P. 12, 135) uno etiam nunc vitio laborat, quod medelam paullo audaciorem postulare videtur:

οἶνος ἔρωτος ἔλεγχος· ἐρᾶν ἀρνεύμενον ἡμῖν
ἤτασαν αἱ πολλαὶ Νικαγόρην προπόσεις·
καὶ γὰρ ἐδάκρυσεν καὶ ἐνύστασε καί τι κατηφὲς
ἔβλεπε χὠ σφιγχθεὶς οὐκ ἔμενε στέφανος.

Verbum *ἐνύστασε* interpretantur aut *dormitavit*, quod absurdum est amoris indicium, aut *caput demisit*, quod sine exemplo est et

si ferri per se posset, tamen nihil differret ab eo quod sequitur *κατηφὲς ἔβλεπε*. Ut breviter dicam, requiritur singultandi verbum, quod haud raro cum flendi verbo coniungitur; sed quoniam *ἔλυζε* non fuit, alia quaerenda est forma. Hesychii altera glossa est *λυγγανόμενον· λύζοντα ἐν τῷ κλαίειν*, qua abuti nolo, altera haec corrupte tradita *λυγκαστήσει· αὔξει παραπλησίως ἢ λυγκάσαι ῥεῦσαι*, ubi etsi conieci *λυγκάσει· λύξει*, tamen nimis ambiguam emendationem esse intellego. Itaque cum alia exempla mihi quidem praesto non sint, audeo *λυγγάζω* formam fingere, quae iuxta *λύζω* formam in usu fuisse videtur pariter ac *ῥογχάζω* iuxta *ῥόζω*. Scribendum igitur existimo *καὶ γὰρ ἐδάκρυσεν καὶ ἐλύγγασεν*. Ceterum comparandum cum Asclepiadis poematio Callimachi egigramma XLIII consimile et fortasse ad Samii poetae exemplum factum.

X. APOLLONIUM apertum est libro primo Argonautas enumerare ad Homeri similitudinem[1]), ut tamen simul superare studeat exemplum propositum: non enim qui adfuerint narrat, sed qui convenerint, non quasi narretur, sed quasi agatur res. Laudamus consilium, sed fatendum est poetam eodem usque iterato dicendi colore (*ἤλυθε, οὐ μίμνεν, οὐκ ἔλειπο*) hac ipsa re non minus molestum fieri. Felicius illud est excogitatum quod saepius cur quisque venerit explicat: communem quidem omnium causam v. 230 eam esse dicit, quod omnes fere ex Minyae genere orti Iasonis consanguinei fuerint, sed praeterea propriae quaedam singulis causae fuerunt, velut Orpheum (v. 32) Chironis suasu comitem adscivit Iaso, Menoetium Actor pater ipse excitarat (v. 69) ut virtutem suam experiretur, Canthum (v. 77) Canethus pater volentem misit, Tiphyn (v. 109) rerum nauticarum peritum Minerva Argonautis addidit, Hercules (v. 130) invito Eurystheo ultro nomen dedit, Iphitus veteris hospitii gratias redditurus (v. 208) Iasoni operam suam promisit. Minus perspicuum est cur Eleorum rex

1) Non solum eadem licentia usus est, quam Homerus ut putabat sibi sumpserat, ut eorum quoque nomina poneret quos in ipsa rerum narratione nunquam commemoraturus erat, sed etiam quod v. 22 contra omnium poetarum usum dixit *Μοῦσαι δ' ὑποφῆτορες εἶεν ἀοιδῆς*, id ex Iliadis *B* 491 ortum videtur: *εἰ μὴ Ὀλυμπιάδες Μοῦσαι, Διὸς αἰγιόχοιο θυγατέρες, μνησαίαθ' ὅσοι ὑπὸ Ἴλιον ἦλθον*, nam non Musae sunt carminis *ὑποφῆται*, sed poetae Musarum, cf. Theocriti 16, 115. 22, 116 et Callimachi h. Dian. 186.

Augias magno opere cum reliquis proficisci cupiverit; ait poeta v. 172

βῆ δὲ καὶ Αὐγείης, ὃν δὴ φάτις Ἠελίοιο
ἔμμεναι· Ἠλείοισι δ' ὅ γ' ἀνδράσιν ἐμβασίλευεν,
ὄλβῳ κυδιόων· μέγα δ' ἴετο Κολχίδα γαῖαν
αὐτόν τ' Αἰήτην ἰδέειν σημάντορα Κόλχων.

Potest quidem fingi Augias terrarum incognitarum cupidus fuisse, sicut apud Cyzicum regem Argonautae Propontidis urbes situmque locorum diligenter percontantur proximoque adeo die Dindymo monte conscenso itineris sui regionem exquirunt — posset talis homo fingi Augias qualis poeta ipse fuit, nisi alia causa praesto esset probabilior: Augias Phrixi quidem mortalis patris filius esse dicitur (cf. Apoll. 3, 196), sed fama ferebat a Sole eum progenitum esse: Solis autem etiam Aeetes filius erat. Itaque fratrem ut viseret Augias proficiscendi cupidus erat, quod ut convenienter sane Alexandrino ingenio inventum est, ita tacere non poterat poeta; unde glossam puto expellendam esse et sic scribendum:

αὐτοκασίγνητόν τ' ἰδέειν σημάντορα Κόλχων.

XI. Timonis Phliasii in Xenophanem versus (fr. 40 Wachsm) luculentum interpretem nancti sunt Sextum Empiricum (Pyrrh. hypot. 1, 224, p. 51, 22 Bekk), qui eos servavit:

Ξεινοφάνης ὑπάτυφος, ὁμηραπάτης ἐπικώπτης,
ἐκτὸς ἀπ' ἀνθρώπων θεὸν ἐπλάσατ' ἶσον ἁπάντῃ,
ἀσκηθῆ . . . ., νοερώτερον ἠὲ νόημα.

Extrema sic enarravit Sextus: ἐδογμάτιζε δὲ ὁ Ξενοφάνης . . . τὸν θεὸν συμφυῆ τοῖς πᾶσιν, εἶναι δὲ σφαιροειδῆ καὶ ἀπαθῆ καὶ ἀμετάβλητον καὶ λογικόν. Lacunae explendae multi operam dederunt, e quibus unum nomino Wachsmuthium: hic enim cum recte, opinor, intellexisset ἀσκηθῆ per se non posse idem esse atque ἀπαθῆ, olim ἀσκηθῆ τ' ἀπαθῆ coniecit, quod quamquam sane ferri nequit, tamen minus etiam placent quae nuper proposuit ἀσκηθῆ μόνιμον vel πάμπαν vel τ' αἰεί: primum enim μόνιμος adiectivum tam vulgare est ut Sextus vix illi ἀμετάβλητον substituturus fuerit, deinde quod dixi ἀσκηθής non sufficit ad animum omni perturbatione liberum significandum. Itaque addendum aliquid erit quod sensum expleat, quo facto sane non spatium erit alteri praeterea adiectivo velut ἀμετάβλητον supplendo. Unum igitur quod suppleamus vocabulum ita comparatum esse

oportet ut et *ἀπαθῆ* et *ἀμετάβλητον* explicare potuerit Sextus. Videor mihi hoc invenisse *ἀσκηθῆ παθέων*, quae non solum hominem denotant qui omni perturbatione liber sit, sed etiam eum qui nihil inde patiatur, i. e. *ἀπαθῆ καὶ ἀμετάβλητον*.

Eiusdem Timonis versiculo (fr. 34)

ἄνθρωποι κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί

Eusebius ait philosophos universos rideri, quod refutare sane non possumus; sed fortasse prae ceteris Platonem petiit poeta, qui hoc puto acuminis inesse voluit ut Platonicam vocabuli *οἶνος* etymologiam perstringeret, cf. Plat. Crat. p. 406 c *οἶνος δ' ὅτι οἴεσθαι νοῦν ἔχειν ποιεῖ τῶν πινόντων τοὺς πολλοὺς οὐκ ἔχοντας, οἰόνους δικαιότατ' ἂν καλοῖτο*, quae verba sic immutat nescio quo auctore Athenaeus 2 p. 35 b *Πλάτων δ' ἐν Κρατύλῳ ἐτυμολογῶν τὸν οἶνον οἰόνουν αὐτόν φησιν εἶναι διὰ τὸ οἰήσεως ἡμῶν τὸν νοῦν ἐμπιπλᾶν*.

XII. Homerici carminis antiquissimi verba (*A* 12 sqq.)

ὃ γὰρ ἦλθε θοὰς ἐπὶ νῆας Ἀχαιῶν
λυσόμενός τε θύγατρα φέρων τ' ἀπερείσι' ἄποινα
στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶ ϝεκηβόλου Ἀπόλλωνος

plane non video qua ratione, si recta tradita esse sumamus, a gravissimo crimine liberari possint: nam absurde dicitur pater ad Graecos venisse et ut filiam redimeret et magnum afferens pretium, si quidem pretium filiae redimendae destinatum est: non possunt per duplicem *τε* particulam inter se coniungi quae et tempore et sensu plane diversa sunt, neque ea re tollitur haec difficultas quod poeta multo recentior (*A* 372), si quidem fides est libris, eandem versus illius lectionem exhibet; pluris facio egregii illus poetae iudicium qui Priami Achillisque colloquium scripsit, ubi (*Ω* 501) aptissime senex ait:

τοῦ νῦν εἵνεχ' ἱκάνω νῆας Ἀχαιῶν
λυσόμενος παρὰ σεῖο, φέρω δ' ἀπερείσι' ἄποινα.

Itaque si quae participia coniuncta fuerunt particulis *τε — τε*, non fuerunt haec *λυσόμενος* et *φέρων*: possunt fuisse *φέρων* et *ἔχων*, modo ut scribas, quae antiqua fuit scriptura, *στέμμα τ' ἔχων*. Quod si verum est, abundat *τε* illud post *λυσόμενος* positum, ut tamen deleri non possit; itaque gravius quoddam haec versus pars damnum perpessa est, sive scriptum olim fuit *λυσόμενος ἣν παῖδα* sive aliud quid. Ceterum v. 9 *Χρύσης*, quemadmodum patrem

nominant recentiores poetae (v. 370 et 442. 450), non fuit nomen illius, ut docet articulus *οὕνεκα τὸν Χρύσην ἠτίμασεν ἀρητῆρα*: ferri poterit articulus si patriae nomen restitueris, sive *τὸν Χρυσῆ'* vel *τὸν Χρυσῆα ἀτίμασεν*.

Admirari prae ceteris didici Zenodotum, virum acuta observatione Aristarcho fortasse non parem, ingenio et iudicio, ut mihi videtur, illo praestantiorem, cui quod traditum est Iliadis *Γ* 56 recte puto offensui fuisse, non recte eum emendasse persuasum est. Ait Hector Alexandrum fratrem increpans:

οὔ κέν τοι χραίσμῃ κίθαρις τά τε δῶρ' Ἀφροδίτης
ἥ τε κόμη τό τε ϝεἶδος, ὅτ' ἐν κονίῃσι μιγείης.
ἀλλὰ μάλα Τρῶες δειδήμονες· ἦ τέ κεν ἤδη
λάινον ἕσσο χιτῶνα κακῶν ἕνεχ' ὅσσα ϝέϝοργας,

ubi vocabulum *δειδήμονες*, quod ne recte quidem formatum videtur, non potest cum Aristarcho ita explicari, ut Troiani metu prohibiti fuerint Alexandrum ne interficerent: nam sive Priamum sive Hectorem ipsum, qui loquitur, eos metuisse putas, neutrum ex ipsis verbis ulla interpretandi arte efficies, sed quae tradita sunt nihil significant nisi hoc: *'nisi nimis te metuerent Troiani, dudum poenam dedisses'*, quae sententia satis inepta est. Hac de causa Zenodotus *ἐλεήμονες* coniecit scripsisse poetam, quod recte reiecit Aristarchus: *οὐκ ἐλεοῦσι δὲ αὐτόν, ἀλλὰ μισοῦσιν*. Neque miseret eos Alexandri neque metuunt eum, sed nimis ei indulgent corporis pulcritudine ingeniique indole capti, hoc est *ἀλλὰ μάλα Τρῶες αἰδήμονες*. Nam ut *Ἀναιδείας λίθος* est inplacabilium sedes et *πόντος ἀναιδὴς* (I. G. A. 15) mare inplacabile, ita *αἰδέσασθαι* (C. I. A. I 61) est placabilem se praestare, *αἰδήμων* placabilis. Oderant quidem Troiani Alexandrum totius belli auctorem, ut tamen ulcisci nollent.

Argentorati mense Iunio. G. KAIBEL.